# DE
# S. IVONE
## PAVPERVM PATRONO
# ORATIO

Habita in eiusdem templo

AD EMINENTISSIMOS
S. R. E. CARDINALES

A GVLIELMO DE RVBEIS
Sem. Rom. Clerico.



Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. 1679.
*Superiorum permissu.*


Eminentiſs., & Reuerendiſs. Principi

# FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARD. AMPLISSIMO

GVLIELMVS DE RVBEIS

FELICITATEM



Viculas, aiunt, cum nihil poſſent opulentius, plumas ad magnificentiſsimum Delphici Apollinis Templum; Apes, ceras vltrò detuliſſe. Prouocauit ſcilicet vel ſylueſtres feras fabulosa Numinis humanitas, quæ nec latere potuit in lucis, vmbris ad eius nitorem famulantibus. Parcendum igitur inopiæ largitionis meæ, ſi ad ampliſſima tot gloriæ tuæ

monumenta tam vile fiat breuis Orationis additamentum. Ea siquidem tuis visa est excubare Conclauibus clemens Benignitas, facilis Bonitas, liberalis Beneficentia, quæ non modo subeuntem non prohiberent accessu, sed minime audentem inuitarent, fouerent humilem sinu. Atque vtinam mellita saltem, aut acuta illàm dicendi ratio commendaret; ne hoc etiam Auicularum plumis, ne Apum dulcori inuideret. Verum tota ad obsequium facta, pudibunda humi repit, tuam demissè Purpuram lambit; alium in Te iuenisse IVONEM gaudens; quem leuata Pauperum inopia eò liberaliorem prædicat, quò ditiorem. Fruere in AEuum Princeps opulentia, qua flores, mellificium cæteris elaborando. Damus nos quoque nostra vicissim, Amorem nimirum, quem æquissimo iure in tuo vindicas censu. Poterunt alij magnificentius; nos certè nihil possumus amantius.

ORA-



# ORATIO.





Xlegem Iuſtum iure dixerim, (Eminentiſ. Principes) cui lex ſine lege Amor eſt: honeſtiori idcircò Laurea decorandum, quod legum omnium imperitus, hanc vnam vnicè dilexerit Legiſlatori comparem ſuo. Hanc ſi perfectè callueris rectè agendorum Norma, & ſpirans lex cæteris eſto. Vna ſi abſit, reliquas, licet innumeras, enerues voco atque inanimes. Tam exiguo ambitu, in immenſum protractæ Diſci-

plinæ, nec operoso operē, perutilis summa concluditur, Iusti, aeque Iniusti scientia. Huius si Doctorem ex me quæritis, cedo Iurisperitissimum. Longis ne vos morer ambagibus. facio in IVONE compendium, Exlegem illum tot inter leges pronuncio, nouam ab Amore Iurisprudentiam edoctum, qua breui omnium peritissimus vna constitutus est Lege.

Sileant itaque Labeo, Vlpianus, Paulus; Scæuola quando Diuinus Amor idem cum lege est legislator. Audior: Exactissimo compendio, tot inter tricas irresolubili nexu ambiguam mentem vincientes, vna placet IVONI lex æterno Conditori coæua, quæ tunc intelligitur, cum diligitur, tunc verè obligat, cum per omnia circumducitur, tunc compede vincit arctissima, cum è meticulosis seruis in Filiorum asserit libertatem. Hanc diu, noctuque maditatus adeo dilexit, vt pro Ceruicali Sacrorum Bibliorum Volumen, duro super lapide dormiturus capiti aptaret; feliciter eas inter tenebras oculatus, dum experimento comperit suo, quam verè dictum Præceptum Domini lucidum, vbi reclusum sibi Cælum insomnis videre visus est, & vigilem ipsa reddidit quies. Eadem mirificè institutus, V-

no-

noque omnia complexus in verbo, breuissima Epitome compendiariam nobis Viam signauit, ad innumeros propemodum flexus intra præscripti Tramitis fines sine errore percurrendos, quos vltra negat citraque Rectum consistere. Desierunt ex illò in prætio haberi vulgata passim Iurisprudentiæ præcepta, quæ totam rectè viuendi rationem absolutissimam faciunt, Neminem lœdere, Ius suum Cuique tribuere. Doctus IVO siquidem ab Amore est ilicet ad vlteriora, mira quadam sublimitate, eniti; Cum illæsum quemlibet præter se voluit, sui Corporis, qua protractis ieiunijs, qua Cilicinis vestibus, qua retortis flagris, immanis penè dixerim tortor, Cæloque morum conterminæ puritatis. Mentior, nisi in frequentissima Vrbe veluti omnibus debens, nunquam Iuris sui, totum se credidit alieni; ob hoc ipsum sibi Reus, si in publicam vtilitatem Innocentiam suam ad minimum redderet otiosam. Qui splendor facienti ad Aras, capiti se in radiorum Coronam lunauit, satis documento fuit, quo eius mens raperetur ad instar fulguris corruscantis. Arcanum proculdubio flammeæ illæ loquutæ sunt linguæ intimis conceptum ignem medullis, quo æstuabat in

Cæ-

Cælites; quo, quamqui maximè, ad leuandam miserorum inopiam ferebatur. Splendidam laudem reijcio: Assertum probo. Fuerit vtcumque Iobus oculus cæco, pes claudo; vsurpabitur magnificentius ab IVONE: Os nostrum patet ad Vos. Experimento cognoscite: Aio peramplum Patrimonium totum distributum in Pauperes; erectam domesticam sedem in hospitalem Domum; Inopes contubernales suos, Conuiuas quotidie accedentes, dum ipse humi decumberet, & se se cibo fraudaret; sordes in pretium datas, quas infimis precibus flagitabat, minimum amoris sui argumentum extitisse; si cum longè difficilioris momenti altero conferatur: pro miseris scilicet Verba dare. In sententiam descendet, qui vel leuiter animaduertat, quam raro suppliciter tristis defensorem nancisci consueuerit duris vrgens in rebus egestas, optimo licet iure vallata, vbi pugnandum est aduersus locupletem Potentiorum manum, aureum occultè Arietem impellentem. Orphei nimirum suaue canentis lyra, Amphionis melos, ipsemet Cælestium Orbium concentus voce pecuniæ suffocantur. Quam obrem IVONE delectatos crediderim Superos, vt generosis Canibus Re-

gẽs, prægrandes Feras, iugi clamore, adductis cruribus, celerrimo cursu, morsuque auidè consectantibus. Fuit certè Aureum illud os priuatorum innocentiæ Asilum, Pauperum, cum alias, tum in primis contra potentissimorum Ciuium furores vnicum Propugnaculum, Veritatis Sacrarium, Ara Iustitiæ, vbicumque se daret in conspectum strigosa, vilis, obsoleta, nec qualem Pindarus efformauit aureo vultu, aureis oculis adamanda. Vulgatum testor IVONIS Titulum à Paupertate donatum, ipsis inuidendum Regibus, IVO PAVPERVM PATRONVS. Quo compendioso Præconio quæ illi sublimior ad commendationem danda sit laus? si, (quod & fateri Ethnico Viro placuit) *Deus est mortali, iuuare mortalem, & hæc ad æternam Gloriam via*. Scimus Antiphone neminem vnquam melius orauisse Capitis causam, quam cum se ipse defenderet: Demosthenem primũ reparandæ rei familiaris causa contra Tutores suos perfidos oratione iustus dolor armauit: Floruit in foro præ cæteris M. Cato maior; at postquam pro se quadragies sexies Reus causam dixit: Metuendus Oratione Brutus accusator vehemens, violẽtus, acer, deprauatæ vitio voluntatis: Tullius

ipse

ipse Romanæ Parens, Eloquentiæ Orator summus; Patronus tam felix, quam disertus, quæ vnquam orationis parte, aut propriæ non studet causæ, priuatam fouens vtilitatem, aut totus in vituperatione Inimicorum laudes, ab ipsa dicacitate non quærit? IVONEM non phalerata Verborum copia, non violenta Reorum criminatio, non popularis aura sectatorum venali plausu excitata, non legum inuicem pugnantium conciliata dissidia è vulgi eximit cœtu spectandum, suspicendum ad Aras; sed vna ad Cælum efferet Paupertas, suis erecta sordibus, antea ad eius pedes prouoluta, Vnus Legislator Amor commendat, & Laurea vult exornatum nouæ Iurisprudentiæ Magistrum, qua primo velut intuitu, iusta ab iniustis secernens; tam feliciter agenda intellexit, quam peragendo dilexit, æquè Deo coniunctus, ac à semetipso alienus, tam sibi infestus, quam cæteris salutaris, lex idem omnibus factus in Terris præter leges hominum viuendi, breuique compendio studiosis perutilissimæ artis discendorum, agendorumque Ducem relinquens solam, priuæuam, diuinam, eandemque exlegem penitus Æterni Conditoris sui Charitatem.